



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Philippicæ Sive Invectivæ LX. In Notorios Peccatores

Hartung, Philipp von

Egræ, 1687

Philippica 15. in gulones.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76172](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-76172)



PHILIPPICA XV.

In Gulones.

DOMINICA QVINQVAGESIMÆ

Tradetur Gentibus. LUC. 18. V. 32.

§. 1.
Christia-
ni hoc tri-
duo vete-
rem Deum
mutant in
ventrem.



Verelam DEI per Ie-
remiam Israëlī pro-
positam repetere,
cogor hodie, & DEI
mei nomine expo-
stulare cum plerisq;
christianis: *transite ad Insulas Cethim*
& *videte*; & *in Cedar* [regionem A-
rabiaë à secundo Israëlī filio ita nun-
cupatam] *mittite*; *considerate vehe-*
menter & videte, si factum est hujus-
cemodi. quale illud facinus est, quod
tantâ verborum pompâ & gentili-
um contestatione proponitur? an
nefanda luxuria, qualis nec inter gē-
tes, non Sodomæ non Gomorrhæ?
an nova cœna apposita, quæ lon-
gè superet Thiesteam, cum frater fra-
tri filios ejus proprios apposuit e-
pulandos? an Noëmitica rediēre tē-
pora, in quorum piationem novo o-
pus sit cataclismo? audiamus quid
queratur DEUS. *videte si factum est*
hujuscemodi: si mutavit gens DEOS
suos, & certè, ipsi non sunt Dij, po-
pulus verò meus mutavit gloriam su-
am in idolum. hoc hoc est, quod tan-
topere Deum exacerbat, idolum no-
vum, cui immolatur hodie à popu-
lo Christiano in contemptum & de-
spectum DEI vivi & veri, qui mor-
tifero & mendacissimo deastro non
modò posthabetur, sed in illius gra-
tiam deseritur penitus & abnega-
tur, non est hæc impietas in Cethim
& Cedar apud occidentales & ori-
entales nationes, ut, quos semel as-

sumpsere DEOS, prostituunt, sed
continuum iisdem deferunt homa-
gium; Christianorum pœne solo-
rum hæc est perversitas, ut spreto
DEO vetere, quem anno toto sat pro-
bè coluerunt, per triduum Baccha-
nalisticum, ventrem in Deum deli-
gant eidemque per dies hosce ter
infaustissimos non sanitatem modò
& vitam, sed salutem & animam im-
molent: *quorum Deus venter est. &*
gloria in confusione ipsorum. Con-
tra quos idolomanicos gulones &
foedissima abdominis mancipia a-
gam præsentī dictione, ut si fortas-
se idolo suo nondum litavere, cum
sit hora diei tertia, vesana tempori
damnent consilia, nec tradant gen-
tibus Deum suum ad illudendum
juxta Evangelicam illam querimo-
niam: *tradetur enim gentibus.*

Ut suo quodammodo exemplo
Divinitas ad execrandæ gulæ odium
nos animaret, habitare inter homi-
nes statuit, præcepitque Moyfi: *fa-*
cient mihi sanctuarium & habitabo in
medio eorum Exod. 25. v. 4. nec ha-
bitare duntaxat, sed & convesci di-
gnatus est: *hoc est, quod facies in altari,*
agnos anniculos duos per singulos
dies jugiter, unum agnum mane & al-
terum vespere Exod. 29. v. 38. cum ad
civilem conversationem convictus
perutilis imò necessarius sit, men-
sam domi suæ instrui vult DEUS,
quasi pransurus & cœnaturus no-
biscum ad frugalitatem exemplo
K 3 suo

Philip. 3.
v. 19.

§. 2.
Frugali-
tatem suo
Deus docet exem-
plo.

fuo nobis tradendam, ita verba prædicta doctissimus Olearius explicat: *audis hic summi Dei dignationem volentis apud nos prandere & cœnare, veluti unus ex nobis. similiter per paucis contentari cibarijs in prandio & cœna.* Non jubet apponi sibi sicut postea Vitellius septem millia avium, duo millia piscium; nec convivium apparari jubet, quale solebat esse Getæ Imperatoris, ubi tot missus, quot litteræ in alphabeto, & tot in quovis missu fercula, quot sub illa littera aves vel pisces numerantur. v. g. A. Anser, Anas, Atagen, Aper, Artocrea. &c. nec quale Ptolomæus Rex Ægypti mille convivis apposuit, millies mutatis ferculis & vasis aureis. nec quale Carolus V. Madriti Francisco I. Regi Galliarum apparavit in triplici missu, in quorum primo visebantur centum lances argenteæ solis cerebellis avium refertæ, in secundo totidem lances, in tertio totidem porcellanæ, omnes omnium cerebellis avium instructæ. paucis contentus author naturæ & unius generis edulium apponi sibi voluit, ut deduceret superflua tanquam noxia, observat id ipsum hebræorum doctissimus Philo lib. de victim. sic fermè scribens: admonet nos ad temperantiam Deus, paucis enim alimèto contentus esse potest spectator sapientiæ habiturus sanum corpus & mentem sobriam. *Initium hominis*, inquit Siracides, *aqua & panis*, quàm diu in mundo frugalitas, tam diu regnavit & longævitas. pane & aqua primi homines victitantur, partim ex naturæ instinctu, ut vult Cornelius, partim pœnitentiæ ductu, memores, quod unius pomi esu paradysum, immortalitatem, innocentiam prodegissent. *Initium hominis aqua & panis*, vel ut Tigurina vertit: *summa vite humanæ est aqua cibus.* hoc est interprete

Eccl. 28. v. 28.

Cornel. in Eccl. pag. 631.

Leslius. l. de dieta.

Leslio, cibus uti maximè obvius & facilis, ita & maximè salubris ac conaturalis est panis aquâ decoctus, vulgò dictus *panatella*. Initium vitæ hominis sive principatus humanæ vitæ, ut ex græco verti potest, aqua est panis, quia sicut spiritualis animæ vita est aqua baptismi & panis Eucharistiæ, ita & corporis salus ac commoditas est aquæ usus & panis esus, quod fusè videre est apud Cornelium.

Cùm autem benignitas & humanitas apparuit Salvatoris nostri, exemplo & verbo nos erudit, ut sobriè & piè viventes, non in comestationibus & ebrietatibus, sed in jejunijs multis, frugalitate verò plurimâ regnum Dei, quod non est esca & potus, solemter operaremur. In infantia *lacte modico pastus est*, in ætate matura jejuniis dierum quadraginta exercitus est, sub vitæ coronidem felle & aceto potatus est, ut nostræ vitia gulæ lucraretur & charâ Deo hominibusque sobrietatem, persuaderet. Putavit versutissimus adversarius tentari famelicum Iesum in deserto posse, sicut sobrius in paradiso Adamus tentatus & victus est, ideòque ad lydium lapidem probaturus Salvatoris virtutem, lapides obtulit, quos in panes pellendæ fami converteret; at lapidatus est in verbis suis inimicus, & divini verbi calculo: *scriptum est: non in solo pane vivit homo*, tanquam canis lapide abactus. Observat autem perquam ingeniosè Theophylactus dæmonem suis se lapidibus confecisse, dum lapides non lapidem obtulit, & panes non panem fieri voluit, quasi panis unus sustentandæ hominis vitæ non sufficeret: *non dixit: ut lapis hic panis fiat, sed lapides, volens Christum ad superflua instigare; esurienti enim unus panis sufficit, & propter hoc Christus eum non audivit.* Nunquam Iesus in sanctas

Theophy apud Nifsen, Dom. 16. post Pentecost §. 2.

Etas ac venerabiles manus suas accepisse panes, sed panem in sacro Codice legitur, ut superfuitatem damnet, frugalitatemque traderet, qui orare docuit: *panem nostrum quotidianum*, non panes da nobis hodie, & solitudinem ciborum nimiam damnavit: *nolite solliciti esse dicentes: quid manducabimus aut quid bibemus* Matth. 6. v. 31. comedere & bibere non prohibuit, inquit Theophylactus hic, dicere autem quid comedemus prohibuit, sicut dicunt divites epulones vesperi: quid comedemus mane. *Cibum debes caruncule tue*, inquit D. Gregorius Nyssenus orat. Dominic. *rem & modicum & paratu facilem, si usum & necessitatem intueris. cur adversus te ipsum multiplicas tributa? cur ventri te ipsum mancipas, & in turpissimam ultrò demittis servitutem factus ventris famulus attonitus, ut Climacus loquitur, attonitus inquam famulus, quia inexplebilis sui heri voluntatem stupere potius, quam explere potest.*

S. Joannes
Climac. gr.
18.

S. 3.
Gula in-
fatiabilis.

Tertull. l.
deanica.

Senec. ep.
61.

Intolerabilis enim tyrannus est venter, qui ut scribit Seneca ep. 21. *præcepta non audit, poscit, appellat, dicat quidquid vult lex divina, dicat quidquid vult ratio, conscientia, experientia, venter præcepta non audit, sed nova novaque mancipio suo vernæ imponit & exigit tributa.* Emphaticè de gulositate humana scripsit Tertullianus: *onerosi sumus mundo, vix nobis elementa sufficiunt, & necessitates auctiores & querela apud nos omnes, dum jam nos natura non sustinet.* quidquid delicatiorum volucrum in aère, ferarum in nemore; piscium in æquore, servire gulæ nostræ cogitur, nec adhuc sufficit. *una sylva elephantibus pluribus sufficit*, ait Seneca, homo & terrâ pascitur & mari & aère & adhuc pastum sibi deesse querulatur. *Venter belluo est poscendo finem nunquam*

faciens, inquit Basilius Magnus, ideoque gulones damnatis comparat, quasi jam circumferant in ventre infernum: *gulones non leviores pœnas pendunt, quam ij, qui in inferno excruciantur, ut, qui aperte ignem verberent, accubro aquam ferant, atque in pertusum dolium infundant, nec laborum ullum finem faciant.* Exactorem improbum vocat ventrem Bernardus ep. 46. miraturque: cum voluptas gutturis, quæ tanti hodie æstimatur, vix duorum obtineat latitudinem digitorum, tam modicæ partistâ exigua delectatione quantâ paratur solitudine, quantam deinde molestiam parit.

Diogenis celeberrima vox est: *Venter vitæ charybdis*, non tot charybdis absorbit, quot gula, reddit quod absorbit charybdis non gula. Gula Adamum paradiso expulit, gratiâ originali exiit, immortalitate spoliavit. gula mundum cataclismo merfit; primaria enim causa diluvij adscribitur voracitati: *in diebus Noë erant comedentes & bibentes* Matth. 24. v. 38. gula Sodomam incineravit: *hæc erat iniquitas Sodomæ, saturitas panis* Ezech. 16. v. 49. Gula populum Israël viginti tribus millibus capitum diminuit, postquam videlicet *sedit populus manducare & bibere & surrexerunt ludere* Exod. 32. v. 6. *occideruntque in die illa quasi viginti tria millia hominum* ibid. v. 28. gula eosdem Israëlitas in deserto vastavit, funeravitque: *vocatúsque est ille locus sepulchra concupiscentiæ, ibi enim sepelièrunt populum, qui desideraverat carnes* Num. 11. v. 34. primus populus primi hominis insculperat crimen, inquit Tertullianus, pronior ventri, quam Deo deprehensus; cum de duritiâ ægypticæ servitutis validâ manu Dei ereptus, terræ melle & lacte mananti destinatus, statim saturitatis ægyptiæ detrimenta suspirans, allium

S. Basilius
hom. 1. de
jejun.

S. 4.
Duode-
cim exem-
pla biblica
cladium à
gula illata-
rum.

um potius & coepas, quàm coelum fragrare malebat. Haecenus ille l. de jejun. c. 4. gula denique tertium innumeris ex eodem populo in cultu Beelphegor repentinâ morte multavit num. 25. v. 5. ter misera certè epulantium judæorum bacchanalia! Gula gladio Iambri interficiendum Ela objecit 3. Reg. 16. v. 9. gula Holoferni caput abscidit manu Judithæ, quam castimoniam naufragium certissimè facturam fuisse docet Ambrosius, si gulæ indulisset, gula Balthasarem regno & vitâ spoliavit Dan. 5. v. 25. ubi filij Job perièrunt? in convivio: *filiis & filiabus vescentibus & bibentibus vinum in domo fratris sui primogeniti repente ventus irruit à regione deserti, & concussit quatuor angulos domus, quæ corruens oppressit liberos tuos, & mortui sunt Job. 1. v. 18.* ubi Ammon primogenitus Davidis interit? in convivio fratris sui Absolon, 2. Reg. 12. ubi Philisthæi gravissimâ strage deleti sunt? in convivio: *multoque plures interfecit moriens (Samson) quàm antè vivus occiderat* Jud. 16. v. 30. quod diverso quidem sensu, pari tamen veritate de epulantibus & ventri suo immolantibus repeti potest, plures videlicet ab animalibus occidi mortuis, puta perdicibus, phasianis, turdis &c. quàm unquam in sylvis aut Romanis theatris à veris viventibus sint interempti; Ubi Simon Machabæus cum filijs suis cecidit? in convivio prohi dolor! in convivio prohi pudor! *cum inebriatus esset Simon & filij ejus, surrexit Ptolomæus cum suis, intraverunt in convivium & occiderunt eum & duos filios ejus, & quosdam pueros ejus, & fecit deceptionem magnam in Israël* 1. Machab. ult. v. 16. heu quantas deceptiones in Ecclesia Dei per convivia dæmon facit!

At quamvis tyrannus alius absit, qui convivantes de viventium numero expungat, ipsa sibi gula ty-

rannis est. elegantissimè Seneca l. 19. Rhetoric. *quidquid avium volitat, quidquid piscium natat, quidquid ferarum discurret, nostris sepelitur ventribus. quære nunc cur subito moriamur? quia mortibus vivimus.* monet proinde aptissimè ep. 9. ad Salvianam *procul sint à con-viviis tuis phasides aves, crassi turtures, atagen jonicus & omnes aves, quibus amplissima patrimonialia volant.* nec patrimonialia solum, sed sanitas, sed vita, sed gloria, res simul spēsque universæ.

Alexander Imperator anno 912. die sextâ Junij præ cibus, quibus se ingurgitaverat, multum è naribus & pudendis sanguinem & cum sanguine animam effudit. Ità Michaël tertius, Phocas, Zeno perièrunt. parco exemplorū multitudini, quia obvia & quotidiana sunt. O & nos non simus inter exempla! Cecinerit Juvenalis sat. 1. *quibus in solo vivendi causa palato est* (sicut de Bonoso Vinoso Imperatore testatur Vopiscus, natus est, non ut vivat, sed ut bibat] dicam potius: sunt quibus in solo moriendi causa palato est; vel ut canere malunt alij: sunt quibus in solo sapientia tota palato est, cor videlicet habent in ventre, juxta illud Hieronymi, cōtra jovinianum: *cor habet in ventre gulosus.* Sicut salpæ, contra quos Plato apud Clementem Alexandrinum l. 2. stromat. c. 1. pronunciavit: nullus homo ex ijs qui sunt sub coelo, potest esse prudens, utpote qui mentem in ventrem infoderit, similis pisci, qui afinus dicitur, quem dicit Aristoteles solum ex animalibus cor habere in ventre. Tales sunt ij, qui in ventrem crediderunt, quorum DEUS venter est, finis interitus. hæc Clemens. Quomodo domesticum hoc idolum colant gulones describit Hugo Victorinus tr. de clauistro animæ: *Solent dijs templa construi, altaria erigi*

rigi, ministri ad servendum ordinari, immolari pecudes, thura concremari: ita Deo ventri templum est coquina, altare mensa, ministri cocti, immolatae pecudes coctae carnes, fumus incensorum odor saporum. ð quot hinc diebus cadent victimae, quot apparabuntur arae, quantâ sacrificabitur sedulitate, fervore, pietate! ut fructum pietatis suae, praemia videlicet illa consequantur, quae è gula solent dimanare.

S. 5.
Damna
gulae.

Gula fons infirmitatis, fax libidinis, desipientiae femita, mortis janua, nunquam ullis epulis contenta, ait Cyrillus l. 4. Apolog. c. 4. hebraeorum proverbium est: *plenus venter omne genus mali.* Venter crassus, inquit aureus orator apud Cornelium in Eccl. p. 670., mentem subtilem non parit. multa vorare ad pardalim, ursum & leonem pertinet. pedum dolores & capitis gravitates & oculorum hebetudines, & manuum aegritudines, & tremores, & resolutiones, & aurigo & febres longae ac horrentes ex voracitate & repletionem produci solent. obsonij loco tibi fit inopia & fames. cibo non saturari, sanitatem esse medicorum filij pronuntiant. haecenus Chrysostomus. Belluina eorum vita est, imò quavis belluinâ deterior, quos Seneca cõsolatione ad Lyb. depingit: vomunt ut edant, edunt ut vomant. ð vomicas naturae ventri obediens, inquit idem ep. 61. brutorum animalium in loco numeremus non hominum. Crassescunt enim eorum animae, ut Poeta Ethnicus agnovit, & belluarum more non nisi in ima feruntur;

- - - - - corpus
onustum.
Hesternis vitijs, animum quoque
prægravat unâ,
Atque affigit humo divinæ particu-
lulam auræ.
Divitem illum epulonem, qui dice-

bat animae suae: *requiesce, comede, epulare* Luc. 12. v. 19. considerans D. Basilius exclamat: ð verba stultissima! ð dementiam singularem! nam si porcinam habuisses animam, quid aliud enunciare potuisses? itane pecuinus es, ita bonorum animae ignarus, ut eam exceptes carnalibus epulis? multos sibi pares & convivas habet hinc Bacchanalibus infelix iste helluo, qui scilicet animas suas requiescere, epulari, jucundari & genio indulgere jubent, ignari quod fortassis hac nocte adhuc repetenda sit anima & æternis cruciatibus mancipanda. Multi eandem hodie cum Sardanapalo tenent tesseram: *ede, bibe, lude, post mortem* (post Bacchanalia) *nulla voluptas*, quam & sepulchro suo incidi iussit, at quid aliud inquit Aristoteles in bovis non in regis sepulchro inscriberes? est omnino epulonibus post mortem nulla voluptas, quin nec in vivis ex voracitate talis provenit voluptas, qualis ex moderata ciborum sumptione proveniret. *quomodo jucunda vita potest esse*, quaerit Cicero Tuscul. q. 5. *à qua abest moderatio?* auro dignum Socratis axioma apud Laërtium l. 2. c. 5. qui frugaliter vivunt, longè plus habent voluptatis ac minus cruciatuum, quam qui indulgent genio. diis simillimus est, qui quàm paucissimis eget, cum dii nullius egeant rei. optimum cibi condimentum est fames, utpote quae optimè edulia edulcet & nullius sit impendij.

Proh cæcitas mortalium! ut hanc æstimet homo felicitatem suam, quae in maledictionem diabolo sub anguis forma latitanti detorta fuit à iusto vindice: *terram comedes cunctis diebus vite tuae.* quid nisi terram a foci comedunt, dum cibos ingerunt, ut eò citius revertantur in terram & serpentibus sub terra in papulum cedant. Viveretum se quidem

S. 6.
Gulones
maledicto
serpenti
similes.
Gen. 3. v.
13.

L

dem

Matth. 8.
v. 23.

dem quam jucundissime putant, cum convivantur, sed mortui sunt & evangelicum illud in se derivant; *dimitte mortuos sepelire mortuos suos.* quid enim nisi mortuos sepeliunt, cum tot aves, pisces & animalia mortua in guttur velut patens sepulchrum inq; ventrem velut commune cœmeterium teterrimi vespiliones ingerunt, futuri & ipsi ocyus inter mortis victimas & edulia, & si nihil minus quam mortem somnient, non nisi sanitates & salutes exhalent. Coronabantur quondam convivæ, coronabantur & victimæ, quia victimæ sunt mortis convivia, & convivæ sunt victimæ mortis. transeunt epulæ per epulones; transeunt epulones per epulas. Si corpus quod corrumpitur aggravat animam, quanto magis aggravabunt tot ingesta taurorum, altitium, aquatitium corpora, donec miserum deprimant in Epulonis sepulchrum. Ardent omnes epulones in vivis, at longè magis cum epulone Evangelico in inferorum ardent sepulchris. *non ætne ignes*, ait S. Hieronymus ad Furiam, *non Vulcania tellus, non Vesuvius & Olympus tantis aestuant ardoribus, ut juveniles medulla dapibus inflammata.* ex quibus ardoribus ad ardores sempiternos facillimus est transitus. & quid mirum? siquidem dæmonem & in dæmone infernum suo nutriunt gulosi in ventre.

§. 7.
Guloso,
rum sto-
macho dæ-
mon infi-
det.

Ioanni Climaco gr. 14. credamus: *neque illud te lateat, quod plerumque dæmon stomacho insidet nostro, facitque ut homo nunquam satiatur, etiam si universam comederit Ægyptum, totumque Nilum biberit.* Si ergo dæmoni mendaciorum omnium fabro & parenti fidem non adhibemus, quid stomacho credimus, quem dæmon plerumque insidet? non audit præcepta venter, nec nos eisdem audiamus imperia, murmuret, latret, minetur, ringatur, fulminet.

Ioannis Climaci sententiæ ad stipulatur Clemens Alexandrinus l. 2. Strom. c. 1. *ijs, qui ad luxum mensarum propensi sunt & suos sibi morbos enutriunt, præest dæmon belluo maximus, quem ego non verebor appellare ventris dæmonem, dæmonum autem pessimum & perniciosissimum.*

Confirmant id ipsum exempla eorum, qui è gulæ vitio deprehensi sunt, malum genium suo alere in stomacho, aut eidem dari in escam, Serapioni paximacium quotidie clepenti, ac gastrimargiam suam denique confitenti lampas ignea sulphureum exhalans foetorem de sinu, & in lapide gastrimargicus abscessit dæmon apud Cassianum collat. II. Clarævallensis sub D. Bernardo tyro ventri mancipatus à Dæmonibus gallinam assam offerentibus cœnobio extrahitur, possidetur, furit & moritur. Ad Macedonium Anachoretam, teste Radero nostro in vita Sancti, adducta fuit muliercula, triginta quotidie gallinas absumere solita, quam ille cum à gastrimargico dæmone liberasset, nè dimidiam posthac die toto absumere potuit. omitto sinè numero alios aliisque, tristissimo exemplo suo comprobantes ijs, qui ad luxum mensarum propensi sunt, præesse *ventris dæmonem, dæmonum pessimum & perniciosissimum.*

Nunquam Salvator noster panem fregit distribuitque, quin prius oculis in altum sublatis gratias egisset, quia esca corporalis (ut loquitur D. Vincentius Ferrerius ferm. I. in Dominic. Lætare) fuit venenata per diabolium, quod venenum sacris illis ceremonijs pissimum Iesus expellebat. Monet proinde Vincentius: *ideo debet poni medicina si-ve theriaca contra venenum, saltem ad minus dicendo: Iesus! si aliam orationem propter tuam gulositatem non potes facere.*

Fi-

§. 8.
Peroratio elegans
Chryso-
stomi.

Finio verbis Chrysofomi ardentissimè ita intonantis hom. 54. ad popul. tempus est belli (hiscè potissimum Bacchanalibus, quibus dæmon quasi solutus de catena intolerabilius ferocit) *tempus est belli, tempus est certaminis, tu verò sedes in delicijs? stat stridens dentibus ad-versarius, tu autem mensis vacas? Christus fame tabescit & tu voracitate temetipsum distendis? nunquid mandandi sumus, quoniam nos ipsos saginamus?* faginate, si placet per hos dies, lumbricis & bufonibus corpora vestra, imò dæmoni & gehennæ faginate animas vestras; sit venter Deus vester, sed & finis interitus.

Fovete *ventris dæmonem* dæmonū nequissimum, ad ejusq; gustum ingerite & egerite, *donec exeat per nares vestras & vertatur in nauseam* num. II. v. 20. ego nec benedictionem vobis impertio, sed indignationem & væ, fartagines ignitas, rogos inextinguibiles, esuriem æternam annuntio, ite, edite, bibite, ludite, IESU Crucifixo illudite, post mortem nulla voluptas, sed æternatura calamitas & nescia finis, nescia salutis, nescia indulgentiæ quadragesimæ.

* * *



PHILIPPICA XVI.

In larvatos moriones.

DOMINICA EADEM

Cæcus quidem sedebat secus viam Luc. 18. v. 35.

§. 1.
Stultorum omnia plena.

SI quando verum est, quod ethnicus dixit orator: stultorum plena sunt omnia, hiscè ter infautis Bacchanalium ferijs inter Christianos est verissimum: plena stultitiarum omnia, pudet non desipere, pudet impudentem non esse, pudet extra divinorum legum, & conscientiæ orbitam non exerrare; O cæci non secus viam sed in regia inferni via, quam celeri passu decurrunt Liberi Patris alumnuli serò exclamaturi: nos insensati ergo erravimus à via. Atque ut alios errores, cæcitates & stultitias his ferijs comitti solitas præteream, larvatos solum inspicere & falsam eorundem insaniam expendere imò conspuere & detestari placeat.

§. 2. Quod malè moratis filiis suis Si-

meoni & Levi, vasis iniquitatis bel-lantibus, propter Sichimitas nefariè intereptos afflictissimus patriarcha Jacob dixit Gen. 34. v. 30. *turbastis me & odiosum fecistis me Chanaanais Perezais*, idem repetere hodie Christus & conqueri potest; ô malefani catholici odiosum fecistis me Turcis & Judæis, qui visis larvis vestris & insaniâ falso cum cachinno exclamant: proh qualis est natio Christianorum, qualis Deus & legislator eorum! ecce triduo per annum insaniunt omnes variâsque induti formas discurrunt, bacchantur, pergræcantur & pudet impudentiæ specimena insigne non exhibere; elapso verò triduo, ubi ad mentem redeunt, cinere caput conspergunt, triste quid submurmurant, saccos induunt & deliria sua expiare fatagunt; proh ridiculam gentem! vah legem & legis-

Larvati exosi red-dunt legē Christi.